Joannes

Scholar. Piar. Centrum publicae

felicitatis.

CENTRUM
PVBLICÆ
FELICITATIS

In Avitæ FASCIÆ Sphæra

ILLVSTRISSIMI

&

EXCELLENTISSIMI DOMINI

D. JOANNIS

de MAŁACHOWICE

MAŁACHOWSKI

Comitis in Moſzczenice, Rękoray, & Końſkie

PRÆFECTI OPOCZNENSIS

In ſolenni ſuæ Præfecturæ ingreſſu

Panegyrico Collegij Cracovienſis *Scholarum Piarum* ſtylo

DEMONSTRATVM.

Anno
A concentrata in Orbis ſphæra felicitate 1725.

CRACOVIÆ
Typiſ Iacobi Matyaſzkiewicz, S. R. M. Typographi.

m.

In Avitum Decus

ILLVSTRISSIMI DOMINI
CAPITANEI



I.

Bella gerant alij ferroq; auroq; potentes,
Vt Dominum cingat Regia ſphæra Caput.
Non bellare Tibi ferroq; auroq; neceſſe eſt,
Cùm ſit in Auguſta propria *Vitta* Domo.

II.

Faſcia prægrandem cæli ſinuatur in Orbem,
Quàm teneat magnas, hinc patet, Illa do-
(mos.

ILLUSTRISSIME
ET
EXCELLENTISSIME
DOMINE.

DEteriore hactenus Fortunæ rotâ raptata Patria, hodie in Gentilitiæ Tuæ FASCIÆ Sphæra, felicitatis ſuæ attingit centrum, ubi ſecunda illius revolutione, primum honoris tangis punctum. Quod enim illi æternaturæ proſperitatis non accedet coronamentum, ab interminato ILLVSTRISSIMÆ Domûs Tuæ circulo? quæ illi non vehentur gratiæ, hac melioris fortunæ rotâ, quis gloriæ non orietur ſplendor, ab hoc aſſymbolo ſphæris cæleſtibus Orbe? quem poſt

tot Illuſtriſſima præclaræ Geneſis ſydera, Sol gratiarum novis illuminas fulgoribus. Sanè jam Patriæ, poſt tot cruentos adverſorum conflictus, in circulari Tua Tænia arcum triumphalem moliuntur cæli, poſt tot malorum victorias, coronam porrigunt. Nihil nobis ampliùs violenta poterunt nocere fata, ubi armatæ in noſtram pernitiem eorum manus, hac adamantina conſtringũtur Catena, affulgebunt poſt bellorum nubila dies ſereniores, dum faventiſſimæ Orbi Sarmatico Sphæræ circuitu regulabuntur. Id ſibi de Avitæ Tuæ FASCIÆ Firmamento, id de Te ILLVSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE pollicetur Patria, alligabis tabo putrida illius vulnera, Tuâ Patritiâ FASCIA Sarmatice Alexander, ſimulq; ſanabis, in Iordane Tutelaris Tui, omnẽ malorũ demerges pyraticam, onerariã Patriæ ad littus fortunatum, locò cæleſtis Cynoſuræ, Sydus diriges Gratiarũ, cui Palatinos ſplendores, inextinctã honorum lucem ex animo precatur

ILLVSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO
NOMINI TVO

Devinctiſsimum
Collegium Cracovienſe Scholarum Piarum.

PANEGYRICUS.

ILLo ipso aureo eloquentiæ Tuæ torqve rapis in applausus animos, quo nuper ad Vniversalia Regni Comitia Legatus, coronatum Caput in admiratione, ora Procerum in panegyres, affectus Civium in Tui amorem rapuisti ILLVSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE. Quem enim illi plusquàm humanæ Tuæ facundiæ non rapiant circuli, dum illis (velut quondam gemmeæ suæ sphæræ Pyrrhus) omnes politioris sapientiæ imple-

xuisti deas, illos tam argumentorum, quàm conceptuum innexuisti flores, quibus & desideria Patriæ, & præconcepta de Te magnæ Genesis vota coronares. In primo hoc Legationis Tuæ tyrocinio, veteranis in hac palæstra magistris eripuisti palmam, dum omnes illas Oratoriæ activitatis dotes, cum Patritiæ FASCIÆ rota devolutas in Te exhibuisti, quas in ILLVSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO DOMINO PALATINO POSNANIENSI Progenitore Tuo, Magno ad Vniversales Confæderatarum Gentium Pacis Tractatûs, Legato, Orbis universi Principes, concentratas, stupuerunt. Libet hic Tanti Senatoris commemorare dexteritatem, in cujus unius vultu totam Sarmatiam viderunt exteri, & vel ex solo oris aspectu legerunt oracula. Illo, præsentibus Imperij, Angliæ, Fæderati Belgij, Venetiarum, Moschoviæ, & Othomannicæ Portæ Legatis, verborũ pero-

Illus. Palatin9 Posnaniæ pacem cum Turca evincit.

pero-

peroravit torrente, ut ignes Gradivi, qui totâ hactenus inflammaverat Europam, serpente usq; ad Poloniam incendio, sint extincti. Arsisset hucusq; Othomannici belli facibus Austria, Pannonia, nisi ille vehementiore dicendi spiritu obstitisset, repléssent præliares Asiæ argonaves Lechicum Nostrum Hellespontum, aureumq; libertatis avexissent vellus, nisi illas in Oceano eloquentiæ suæ demersisset, cæpisset Atalantam Sarmaticam Bisantinus Hyppomenes, nisi illum aureâ suæ facundiæ catenâ Hercules iste retraxisset. Quòd ergò rupta sint loricata Martis retia, quæ in capturam Stemmaticæ Regni Nostri Aqvilæ, à Bistonio tendebantur aucupe, fulmen verborum illius effecit, quòd fusi sangvinis corallijs nostram non licitemur securitatem, suæ Legatialis eloquentiæ debemus gemmis, quòd post bellorum tonitrua, candidæ pacis unio coaluerit, svavioris eloquij sui rori adscribendũ.

 Novus

Novus extra fabulas Poëtarum Amphion, gratioris modulamine svadæ, non jam aliquot saxa, sed integrum Regno attraxit Camenecum; Sanctior Orpheus Asiaticas Tygrides nostrum sitientes sangvinem cicuravit, Mercurio Deorum Legato præstantior, pacem enim, quam ille Gigantibus cum Cælo persvadere non valuit, hic cum Polo Lechico, pretioso apparatu svadæ persvasit.

Quantus, quantus est iste Paternæ apparatus facundiæ, totus cum Sangvine in ærarium Tui pectoris influxit ILLVSTRISSIME CAPITANEE, factus es ex asse hæres tam divitis gazæ, ad quam & aurei Oris Orator, *cujus natali die primam aspexisti lucem, suæ eloquentiæ aurum attribuit, &* Sol *tunc in* Aquario *horoscopans, fontem suarum affudit divitiarum. Non miramur ergo, quòd Princeps Legatorum proclameris ab omnibus, cùm Tibi Princeps*

Ill. Capitaneus die S. Chrysostomi natus in Ianuario.

Men-

Mensium Ianuarius, ad prima & summa omnia januam aperuerit, non stupemus, quòd auro trabeatas ex ore fundas periodos, Gemmas loquaris in publico, cùm Tibi Os aureum, & suum obrysum, & gemmam sui annuli, decreto superûm contulerit, non stupemus plusquàm humani fluiditatem eloquij, cùm cæli fontem Sol in Aquario, gratissimo Tuo infuderit ori. Habemus ingentes Soli Astrorum Principi gratias, pro tot favoribus urnâ Aquarij in Te effusis, ampliores tamen Academiæ Cracoviensis Syderi D. JOANNI CANTIO, qui Tibi inocciduos hactenus vitæ fecit oriri dies. Nimirum, in ipso tenerioris vitæ exordio, extinctus Tibi vitalis in præcordijs fuisset calor, nisi illum suæ injectu togæ conservâsset Cantius, rupissent tenuissimum vitæ Tuæ filum crudeles Parcæ, nisi fortiori stamine illud implexuisset Cantius, abstulissent Te ad tumulum fata, nisi ille sub Doctorali Pallio occul-

Morti proximus in tenera ætate D. Cantij togâ sanatur.

occultâsset. Quòd ergo mortali non obrigueris frigore, Togæ Cantianæ *debes, quòd sicco pede Jordanem fatorum transieris, hujus Sanctioris Eliæ debes Pallio, quòd præter spem velociùs, onerariâ vitæ optatum incolumis attigeris littus,* Cantianæ *Togæ carbasis teneris adscribere. Perièras lethali Parcarum vulneratus telo, nisi Sanctioris Trajani purpura, præsto fuisset. Sanè tunc cùm Vate dicere popoteras:* Induit me Dominus vestimentis salutis, *ubi tam efficax desperatæ sanitati remedium in Pallio* Cantiano *invenisti. Debes igitur gratiam vitæ, gratijs JOANNIS, vigorem ætatis, Fonti Doctorum, dies & Annos longiores, Soli Academico, imò illos ipsos scientiarum radios, quibus more Solis, ex Avitæ FASCIÆ sphæra Orbem Sarmaticum illuminas, huic debes Luminari. Quidquid enim in limatiore judicio habes luminis, qvo obscura consiliorum serenas, quo tenebras Areopagi*

Studia literarum Ill. Capitanei in Academia Cracoviensi.

pagi

pagi illuminas, id totum ab aſſeclis Solis illius Academici phænomenis derivâſti. Nihil eſt de grano Selectioris literaturæ intra peripheriam Tuæ collectum FASCIÆ, quod Jagellonico acceptum non debeas Manipulo. Flos ille ſententiarum, quo ſtylum ornas, de Regijs Academiæ decerptus eſt virgis, grandis ille eruditionis theſaurus, quo immortale pretium, & Tuo, & Polono conciliâſti Nomini, ſub Sceptrata Vniverſitatis Cruce, à Te Sarmatice Tyberi eſt inventus. Nec alia Princeps Tuum ingenium, niſi Regia decebant Lycæa, eruditum Caput, omnibus eminentius laureis, ſub Regias decuit acclinari coronas, ordinarios excedens diligentia limites, Sceptris coërceri debuit, fames ſcientiarum Fundatorio Jagellonis manipulo ſaturari. Gemma ingeniorum, Regio diademati, Rex eruditorum Regalibus Sceptris debebaris. Gratulamur Tantum Diſcipulum Almæ Vniverſitati, ſimilem

 Illi

Illi nec Athenæ Græciæ, nec Sorbona Galliæ, nec Ebora Lusitaniæ, nec ipsa Romanæ Vrbis Sapientia educavit. Si Corona hæc debitum ab alijs Academijs non invenisset hactenus pretium, Tu eruditionis Adamas summum illi conciliâsses, si cælum hoc ab eruditis syderibus, quibus nunquam radiare cessat, nullum hucusq; per Orbem splendorem Nominis habuisset, Tu Phæbus scientiarum, amplissimum illi accendisses. Tanto Luminari etiam Orbis peregrinus illustrari gestijt, itaq; Patritiæ FASCIÆ axe devolutus es in Gallias, Sabaudiam, Italiam Belgium, Bavariam, Lotharingiam, & totum lustrâsti Imperium, quòd Te cum Sole Orbi integro natum nôsses. Primam splendorum Tuorum lucem Lutetiæ Parisiorum spectârunt, ubi vix exortus es, illico scientiarum sydera, quæ suos ambitiosè jactabant splendores, extingvi cæperunt, extinctaq; fuissent, nisi Tuum illis communicâs-

Peregrinatio III. Capitanei.

nicâsses lumen. Profuit tamen Galliæ floribus ortus Tuus, ubi enim Tuis illuxisti radijs, illico Avita illorum Lilia *languidum erexêre Caput, explicatiùs sua cæperunt pandere folia, odorq́ illorum ad Sarmatiam usq́ est diffusus. Omnibus & in omnibus Te Solem probâsti, sic lustrâsti terras, ut cælum non desereres, sic varios discurristi per orbes, ut nullibi deviares, in cæno Aularum impollutus, inter nubes adversitatum inextinctus, quæcunq́ aspexisti, perfecisti, in oceano literario gemmas, in Montibus Parnassi aurum doctrinæ produxisti. Hoc tantum Sequanæ Gallico debes, quòd ita nitidus ex illo emerseris, ut Romanæ Aqvilæ ne minimam in Te maculam notare potuerint. Rumpimus Allegoriæ filum, & quantùm Tua peregrinatione profeceris ILLVSTRISSIME DOMINE absq́ involucro verborum exponimus. E Lilieto Gallico*

omnem civilioris literaturæ collegisti florem, è Romanis Montibus, omne Sanctioris doctrinæ eruderâsti aurum, in campis Italiæ uberrimos virtutum congregâsti manipulos, è nido Imperialis Aqvilæ omnes heroæ activitatis gemmas extraxisti, ubiq; obviam populi admirationem, amores & plausus Principum invenisti. Gallorum Lilia Florem Te Senatoriæ juventutis aperto proclamabant ore, Caput Orbis Roma, Cor Poloni Senatûs denominavit, Stemmaticus Bavariæ Leo ingentes laudum favos præbuit, Alaudæ Austriacæ toti Imperio, dignas purpurâ virtutes Tuas decantabant, singuli Principes Te Gemmam suis diadematis inserere satagebant. Auratos cum titulis torques pleriq; offerebant, ut Te catenis ejusmodi, velut quondam Herculem Tyrij detinerent, intra cordis intima rapiebant alij, nè fugâ elabereris, irritus tamen omnium fuit co-

natu-

naturæ, cùm Solem imitari statuisses, qui unde egreditur, eò regreditur. Redijsti itaq; è Lilieto Gallico, à Florentia Ethruriæ, omnigenæ eruditionis serto coronatus, ex Vrbe Orbis Domina, Dominator cordium, è nido Stemmaticæ Imperij Alitis; magnarum alarum Aqvila, honorificentissimo apparatu adventum Tuum Patria excipiente. Vix enim redijsti, statim Te in Vice-Regio Tribunalitiæ potestatis collocavit Solio, in quo, à longiori fatigatus itinere, quietem caperes. Occupàsti itaq; Thronum illum Deorum, non tantùm os, humerosq; Dijs similis, sed ipsa etiam justitiâ. Nihil quippe juxta Gratiani placitum, sed omnia ex sententia Justiniani decernebas, Deos imitatus, qui semper, quod justum est, amant decernere. Personarum acceptio apud Te nulla, nec ipsos Divos auro vel argento cælatos acceptare voluisti. Decretorium Ju-

Redit in Patriam.

Deputatus ad Tribunal Regni.

ſtitiæ Tuæ fulmen, illi ſimillimum lapidi, quem Monarcha Chaldæus ſomniaverat, nec aurato capiti, nec argenteis parcens manibus, Judiciarius gladius, non velut ille Thebani Deaſtri, qui grandiora non attingebat, ſed ad inſtar illius, qui ex Apocalyptici Principis procedebat ore, ex utraq; parte acutus, ipſis etiam formidabilis Magnatibus, ſi deliquiſſent. Nimirum, non eras de numero illorum Judicum, qui Principibus juſtitias ſuas nundinantur, faciuntq; auro venalia jura, ſed ex præſcripto Plinij Tuæ ſententiæ pretium voluiſti, rectè judicâſſe. Et hinc eſt, quòd Te Judice palàm auditum ſit, Aſtræam iterum deſcendiſſe in terras, vel quòd illi in FASCIA Tua cæleſtē Zodiacum procuraveris, vel quòd omnia ſuſtuleris crimina, quæ aſpectum illius poſſent offendere. Aureus ab omnibus dicebaris Judex, quòd auro dignas

absq;

absq; pretio ferres sententias, acceptissimus apud omnes, quòd nihil acciperes. Quàm acceptus fueris integræ Ducatûs Osuiecimensis & Zatoriensis Nobilitati, cujus rotâ ad gloriosissimum Judicis Deputati Officium evectus fueras, palam est Orbi Sarmatico, Comitiali Laudo solennem Tibi sancivit gratiarum actionem, Legatos cum gratiarum actorijs destinavit literis, ut hoc florentissimo in meritorum Tuorum elogia, exarat folio, fontem Tuæ benevolentiæ coronaret. Non minore activitate munus Legati ad Regni Comitia exercuisti, illa fidelitate commissum tractâsti munus, qualem in Pompejo, Affricæ Principes stupuerunt, illa verborum perorâsti majestate, qualem in Romano Catone Græcia, Cynea Græcorum, Roma est mirata. Melleus Orator, cereas omnium reddidisti mentes, quas minimo dicendi

Legatus ad Comitia Regni.

D fer-

fervore resolveres, alter extra Romam Tullius, ducebas Oratione Senatum, quò volueras, ita ut nullus fuerit, qui pedibus in Tuam non ivisset sententiam. Quo plausu auditus fueris, quas apprecationes, quas panegyres flexanimis Tuæ svadæ audiveris, faciliùs est mirari, quàm describere. Oratorij Tui circuli, Gemmâ digni Cancellariâ dicebantur, sententiarum rosæ, purpuram Senatoriam meritæ censebantur, ad Orbis totius Principes Legationi aptissimus proclamabaris. Ita nimirum, quocunq; se volvit Gentilitiæ Tuæ FASCIÆ sphæra; ubiq; centrum elogiorum habet.

Illustrissima Domus Małachowsciana celebratur.

Evolaret hic ad hanc sphæram librata pennâ Orator, nisi illam Icaria deterreret pæna, quæreret circularis FASCIÆ Tuæ originem, & principium, nisi doceret Mathesis, & termino, & principio carere circulum. Deducant itaq; alij origi-

nem

nem illius, à puncto Regiæ Popieli coronæ, alij à centro Ducalis tæniæ Ducum de Szłopa, alij ſphæram hanc ſimul cum Orbe Polono formatam aſſerant, nobis dixiſſe ſufficit, Circulum hunc Coronam eſſe Patriæ, Threijcio Jxoni pænalē rotam. Hac Rotâ provehitur Patria ad triumphos, hoc Circulo agit in vertiginem capita hoſtium, hac Catena conjuratos in noſtri pernitiem frænat Biſtones, vicinorum Principum obligat corda, hac circulari feneſtra, & ſuæ libertati, & publicæ proſpicit commoditati. An potiùs ſphæram ſyderеam Circulum iſtum dicemus, cùm in illo Vniverſa primæ magnitudinis Orbis Poloni ſpectemus ſydera. Hic enim DVCVM de OSTROG, & ZBARAZ, radiat Luna, *hic DANIŁOWICCIANA micant* ſydera, *hic HERBVRTORVM, PRZE-RĘBSCIORVM, fulgurat* Enſis, *hic triumphalis MYCIELSCIO-*

 RVM

RVM ſplendet Sagitta, *hic aureæ cuſtos libertatis BYKOWSCIORVM emicat* Gryphus, *hic cunctis ſplendidior aſtris* Crux *POTOCCIORVM fulget, hic LIGĘZARVM, DONHOFFIORVM, JORDANORVM, ROZRAZEWSCIORVM, DVNINORVM, LANCKORONSCIORVM, BEŁZECCIORVM, WIELOPOLSCIORVM, SIEMINSCIORVM, ZŁOTNICCIORVM, MICHAŁOWSCIORVM, TVCZYNSCIORVM, GRODZINSCIORVM, WARSZYCCIORVM & totius Orbis Poloni ſplendores, ſunt concentrati. Nihil eſt inter Ducales, vel Palatinas Poloniæ ceras illuſtre, quod MAŁACHOWSCIANÆ Zodiacus FASCIÆ non complectatur. Quot & qualia cæleſtē hunc gyrum hactenus inhabitaverint aſtra, curioſa non ſcrutamur indagine, notum enim eſt Orbi Lechico, MA-*

ŁA-

ŁACHOWSCIANÆ circumferẽtiam FASCIÆ, non fatuos Cometas, aut erratica sydera, sed docta prægnantes Pallade Joves, Duces bellorum Gradivos, disertissimos pro Regibus & legibus Mercurios, Senatoriæ eruditionis radijs illustres Phæbos, semper occupâsse.

Nolumus è cælo in paginam Divos Aboriginum Tuorum detrahere manes, quibus allegatam probemus veritatem, unus illam pro omnibus sufficienter probat NICOLAUS MAŁACHOWSKI Castellanus Rospiriensis *Abavus Tuus ILLUSTRISSIME CAPITANEE, in Senatu Deorum Jupiter, in acie præliari Mars, in Legatorum conclavi plusquàm Mercurius. Consecravit Patriæ eruditum ad consilia caput, os disertum ad libertatis defensionem, cor ad amorem Principis, manus ad victorias, & triumphos. Quòd inter continuos Bellonæ ignes,* Ill. Castellani Rospiriensis Abavi Ill. Capitanei magnæ dotes

 ali-

aliquod refrigerium invenerit Stemmatica Regni noſtri Aqvila, illius ſudoribus debet, quòd libertas Civium fatalem hucuſq; ignoret occaſum tanti Solis, in commune bonum ardentiſſimi, ſplendoribus imputandum. Columnam Patriæ, vel ipſi de pariete Conclavis Senatorij loqvuntur lapides, invictum Heroëm confuſus cum Viſtula hoſtium cruor immurmurat.

Illuſ. Caſtellanus Sieradienſis Avus Illuſ. Capitanei celebratur.

Par dexteritas FRANCISCI MAŁACHOWSKI Caſtellani Sieradienſis *Avi Tui, ſive aureum ſtylum pacis conſilia, ſive ferreum poſcerent bella, ex utroq; Cæſar erat. Alios non noverat menſes niſi Martios & Auguſtos, ſcilicet, vel cum Marte infenſos Cælo Lechico profligare Briareos, vel cum Auguſto pacare Rempublicam. Fulgore gladij Othomannicas extinxit Lunas, ſplendore ingenij Aſtra Senatoria illuſtravit. Senator erga omnes liberaliſſimus, nihil in manibus retinere potuit,*

tuit, quasi illas persoratas cum Tutelari suo habuisset, in hoc tamen uno avarus, quòd insatiabilem boni publici habuerit cupiditatem.

Altum gloriæ CELSISSIMI PRINCIPIS, EPISCOPI CRACOVIENSIS, JOANNIS MAŁACHOWSKI, *quæ penna attinget? major est omnibus elogijs magnus iste coram Domino Orbis* Ferdinando Tertio, *coram quatuor Poloniæ Regibus,* JOANNES. *In Imperatorio Cæsaris illius palatio, aulæ rudimenta nactus, non tam gentilitiâ* Fasciâ, *quàm obsequijs magnum devicit Principem, ejusmodi virtutum splendoribus coruscus, quos biceps Imperij Aqvila cum summa spectavit voluptate. Reducem ab Alaudis Austriacis ad Polonam Aqvilam, sub alas gratiarum suarum excepit Rex* CASIMIRVS, *& ubi florem Heroum advertit, suis illum adjunxit lilijs. Postquàm sæpiùs ad* Celsissimi Principis Episcopi Cracovien: Panegyris.

 exte-

exteros Legatus Principes, integrum in se uno tulisset Regnum, Referendarium Regni esse voluit. Par pretium in Libra MICHAELIS Primi *grandia illius invenerunt merita. summam illi honorū lucem Stemmatica Principis accendisset Cynthia, nisi præpropere fatalem eclypsim subiîsset. Quod tamen Divinus præstare nō potuit* Michàél, *humanissimus effecit JOANNES bujus Nominis* Tertius, *manum Pro-Cancellariâ Gemmâ, Caput Culmensi primùm, mox Cracoviensi ornavit tyarâ. Itaq; Præsuleo, & Pro-Cancellario aris & Aulæ desponsatus annulo, ut DEO fidus, sic Regibus fuit fidelissimus, sic pro Principe locutus est, ut pro DEO nunquam obmutesceret, sic humana in Aulis tractavit ministeria, ut Divina nunquam intermitteret Pontifex, quo Sanctiorem non habuit Ecclesia, Senator, quo prudentiorem rarò spectabit Pâtria. Missus à DEO JO-*

AN-

ANNES, addictissimus Missionarijs, in Circulo suæ Tæniæ, rotam melioris fortunæ primùm Culmæ, dein Cracoviæ, illis providit, ut Arx Cracoviensis inconcussa staret, hanc Armaturam Fortium adhibuit, nè minoribus Ecclesiæ astris lux scientiarum deesset, hos Soles, qui eam communicarent, adesse voluit. In Rotam gratiarum, etiam Salesianæ *Familiæ FASCIA Ducalis abijt, Sanctior Alcinous oriunda à Gallijs Lilia, in hortum gratiarum transplantavit, Regis superni Sponsis, Avitam suam sphæram, in sertum obtulit nuptiale; quò Cracoviensis Vaveli Coronas redderet ornatiores, his illas distinxit gemmis. Non minor erga Patriam liberalitas, ut ignes illi triumphales accenderet, integram hastatæ cohortis ære proprio conduxit sylvam, ut velociùs ad victorias Sarmatici veherentur Duces, aureos nummorum circulos affatim submini-*

 stra-

ſtravit, ita in omniũ commoda effuſus, ut vacuã Patritiæ FASCIÆ circũſerentiã reliquerit. Placuit nihilominus & ſic evacuata Coronato AVGVSTI II. Capiti, gordio illius nodo plures parabat honorũ illigaſſe Faſces, niſi illũ atrox ſua falce Lacheſis diſcidiſſet.

Illuſ. Palatin9 Poſnanienſis Magnus Heros.

ILLVSTRISSIMVM & EXCELLENTISSIMVM DOMINVM STANISLAVM MAŁACHOWSKI PALATINVM POSNANIÆ Oratorij Numeri coarctare non audent, utpote minores ſummà triumumphorum Illius, quos faciliùs Domitor ille Turcarum ſcivit multiplicare, quàm nos ſufficiamus numerare. Sub Magno illo Duce Regum, poſt verò Ducum Rege JOANNE III. belli Tyrocinia condiſcens, tantùm in ferreo Martis profecit ſtylo, ut barbarico cruore, indelebilem Poloni Nominis characterem in Tauricana conſcribere membrana, & integras

gras

gras hostium legiones delere didicerit. Perpetuò Palmarum celebravit solennia, tot triumphos numerans, quot annos, & dies, ideoq; in circulari Fasciæ *suæ sphæra, centrũ non aliud esse voluit, quàm triumphos. Tumulis hostium altiorem fecit Patriam, fulmineo ensis fulgore illustriorem, palmis & laureis vernantiorem. Postquàm messis victoriarũ in Sarmaticis defuisset campis, ad Viennam se contulit, ubi elatum supra omnes coronas Regũ, Solymanni Fastum, victore gladio, omniũ subjecit pedibus conculcandũ. Illi debet Alaudæ Austriacæ, quòd illas Bizantinus non deplumaverit accipiter, illius sudoris gemmis, suam Vrbs Cæsarum reredemptionẽ. Alorica ad purpuram, à Sago militari ad Senatoriã invitatus Togam, nõ minùs manũ prælijs, quàm caput consilijs idoneũ exhibuit. Angelũ cõsiliorũ dixeris, quidquid svasit à nullo rejectũ, quidquid proposuit, ab omnibus acceptatũ.* Illius attonitũ jurare in

 verba

verba Senatũ vidimus, & doctis subsellia plaudere verbis, seu pacem, seu bella juberet. *Duorũ Regũ JOANNIS & AVGVSTI Consiliarius, utriq; ob armata gratissimus cõsilia. JOANNES enim de vellere Agni sui Purpurã illi Calissiensẽ texuit, AVGVSTVS verò ad Posnaniẽsem, triũphalibus* Ensibus *suis, iter aperuit.*

ILLVSTRISSIMI Castellani Inowłodẽsis *ADAMI MAŁACHOWSKI, Sole clariores virtutes, Panegyricis non egẽt luminibus, naturæ Illius gratia usq; ad deliciũ, sapientia & constantia animi usq; ad triumphum, eloquẽtiæ pondus supra pretiũ Majestatis. Suo capite Regũ diademata coronavit, suo pectore clypeus & umbo fuit Reipublicæ. In ore rosas semper habuit, sed nõ absq; spinis, quibus oppressores libertatis pungeret; ornavit stylum figurarũ syderibus, nõ ad pompã eloquẽtiæ, sed ut illis in amorem Patriæ omnes accenderet. Regibus observantiã legum,*

Civi-

Civibus amorem Principũ insinuabat, illis veritatẽ, his fidelitatẽ inculcans, omnibus melleus Plato visus, quod absq; fuco adulationis peroraret. JOANNIS Pincernæ Vielunensis, *NICOLAI* Subdapiferi Vendensis, *MAŁACHOWSCIORUM, nota sunt omnibus merita. Ille ea semper, quæ ad salutem Patriæ essent proficua, propinavit consilia, suavissimæ conversationis, & eloquentiæ nectare, singulos ad plenitudinem usq; oblectavit, hic vero panes propositionum, eruditos dicendi lepores, & Majestatibus & Proceribus, ad gustum, semper apposuit. ILLUSTRISSIMUS CAPITANEUS SMOTRICENSIS tot syderum non degener umbra, tantis virtutum fulgoribus radiat, ut inextinctum gloriæ splendorem ILLUSTRISSIMÆ accendat Domui. Pietatis ignibus, vix non cælos inflammat, candore pectoris ipsa extingvit sydera, svadæ Civilis torrente, ipsa*

G poli-

politioris eloquẽtiæ absorbet alta. Purpuratis candidus, Civibus urbanus, onerosus nulli, etiam tunc, cùm gravi sententiarũ perorat pondere. Adolescit ad tantã meritorum altitudinẽ ADAMVS MAŁACHOWSKI Castellanides Inowłodensis, *cujus juventæ flos uberrimos Patriæ pollicetur fructus. Ditabit Thesaurum Libertatis, pretiosus Vnio, addet pretium coronæ Regni, Gemma Augusti Sangvinis, crescet in columnam Patriæ, ramus Arboris, vel ipsis contermina cælis.*

Celsissima Domûs Lubomirsciana laudatur.

Hactenus per altum MAŁACHOWSCIANI Sangvinis Oratoriâ velificantes cymbâ littori nos approximare credebamur, & ecce iterum vastissimo Maternæ Domûs Oceano, Regnatori Aquarum fluvio SRZENIAVÆ adnavigavimus. Oceanum dixi, ad illum enim totum collecta per orbem Augusti Sangvinis revocantur flumina, Regnatorem Aquarum compellavi, ab Imperatorijs namq;

DRV-

DRUSORUM oriundus Fontibus, suos latices ad Regium MICHAELIS & JOANNIS thronum, ad Neoburgica, Bavarica, Hispanica, & ipsa Cæsarea diffudit Solia. Ex hoc Oceano ILLUSTRISSIMI oriuntur Soles, & Polonæ & Imperatoriæ delicium Aquilæ, pretiosæ ad Regum coronas extrahuntur gemmæ, ad littus illius, quod Mareschalcalibus frondescit scipionibus, clavis Ducalibus vernat, palmis & laureis triumphalibus coronatur, magnarum Domuum volvuntur uniones. In hoc quippe honorum & meritorum Archipelagus, OPALINIÆ influunt Naves, *per illud SAPIEHARUM* Sagittæ, *TARŁOWIANÆ, OSSOLINIÆ* Secures, *ZAMOISCIORUM* Hastæ, *POTOCCIORUM* Trophæa, *CETNERORUM vehuntur* Vexilla, *hic se SIENIAVIA, WISNIOWIECCIA.* Cynthia, *hic BIELINSCIANUS*

AGNVS, DONHOFFIORVM lavat Aper, *hoc SANGVSZKORVM* Eqves, *WIELOPOLSCIORVM* Pegasus, *LESZCZYNIANVS* Vrus, *RYBINSCII* Piscis *suam extingvit sitim. Hoc* Flumine *SZEMBEKIANÆ rigantur* ROSÆ *Illi MNISZKOWIANÆ supernatant* Pennæ, *verbo dicam, nulla est Augusti Sangvinis vena, quæ in hunc non influat* Amnem. *Quantum Nominis habes pretium ILLVSTRISSIMA PALATINA POSNANIENSIS ex tot pretiosis magnarum Domuum unionibus! quantum splendorem gloriæ ex tot fulgentissimis Domûs Tuæ Astris! adhuc tamen Tibi non sufficit, sed in dies satagis, ut proprijs rectegestorum inclarescas splendoribus, viva Majorum Tuorum Imago, proprijs virtutum luceas coloribus. Inde est quòd statim à primo ævi vernantis purpurisso, stybium & cerussam nunquam noveris, solo candore*

Ill. Palatina Posnaniensis Ill. Capitanei Mater virtutũ omnium Idea.

inno-

innocentiæ, & minio contenta verecundiæ. Alibi rara est concordia formæ, atq; pudicitiæ, Tuo genarum lilieto, candor animi semper correspondit, oris venusti rosæ, integram virtutum florentiam individuam habuerunt. Illa in incessu gravitas, majestas in verbis, modestia in conversatione, quæ vel ipsis Deabus moveret invidiam. Quidquid inter homines Divinum, inter terrestres Deas cæleste, id omne, sæculi nostri Pandora in Regia Tui pectoris inclusisti. Quærimus Reginam virtutum prudentiam? Palladem Te Senatoriam probas, indagamus fortitudinem animi? Principem Te Amazonum exhibes, Gallorum Blanchis, quæ puritate mentis nativa excedebant Lilia, es candidior, Bonâ Sarmaticâ, centies melior, Scotorum Margaritis, virtutum thesauro pretiosior. In divite hac animi gaza, maximè aurea in Divos elucet liberalitas, ut inhabitarent magni-

gnificentiùs, templorum Regias, Principe illis exſtruxiſti ſumptu, ut aras illorum ornatiores redderes, Te mundo muliebri exornâſti, nè Sacro Convivio ſplendidus deeſſet apparatus, ad Panem Angelicum, argenteos orbes, ad Vinum Euchariſticum, aureos Calices providiſti. Vt autem Divos aureis oppugnas telis, ſic nec cum paupertate pacē habes, indixiſti inopiæ bellum, quotidie illam grandi nummorū opprimens pondere, imò nulla præterlabitur hora, quà vim non inferas illi, plus liberali dextera imponendo, quàm ferre valeat. Orphanis pluſquam Mater, Religioſis ordinibus pluſquam Fundatrix, nihil habētibus, pluſquam omnia. Parcimus reliquis virtutibus, quibus Aulæ Tuæ Sanctuarium irradias, & ſimul modeſtiæ tegis ſypario, quæ tamen licet tātâ occultētur ſedulitate, omnes in vultu ILLVSTRISSIMÆ CAPITANEÆ KRVSZWICENSIS, velut in quodā transparēt ſpeculo. Tranſtulit

Ill. Capitanea Kruſzvicenſis Ill. Palatinæ Filia.

tulit in se omniũ illarum venustatẽ hæc Sarmatica Pulcheria, simulq; cũ lacte intaminatũ Tuum exsuxit candorem. Parcimus etiã CELSISSIMORVM PRINCIPVM LVBOMIRSCIORVM elogijs, novit enim Patria Regni Succamerariũ *inter fulmina belli impavidum, inter ignes Bellonæ inextinctũ, Domûs Celsissimæ columnam, nutantis Regni Atlantem. Didicit pridẽ* Celsissimum Metatorem Castrorum *Regni, nec metas, nec terminos triũphis ponere, sed inter flammas Gradivi novas illi perpetuò fluere victorias. Triumphale THEODORI Nomen vel ipsæ Alaudæ Austriacæ suo concentu referunt orbi, triumphosq; illius, Getici sangvinis auctus profluvio immurmurat Danubius. JOSEPHVM sua virtutũ illustrant sydera, quibus non Patriam tantùm, sed Orbem integrum serenavit. Trophæa GEORGII coronatũ Principis versat caput, os cum plausu prædicat, triumphales* Enses

Celsissimi Principes Lubomirij.

 laure-

laureas metunt in coronamentũ. JOANNEM ipsæ suæ loqvũtur gratiæ, quibus amorẽ apud Principem, grandem apud omnes meruit æstimationem. ALEXANDRVM, heroa fortitudo, probata in Legationibus dexteritas, & dignæ purpura virtutes ter Magnum debuccinant.

Post tot Ter Magna & nunquam satis laudata Nomina, ad Te ILLVSTRISSIME CAPITANEE, velut ad suum centrum devolvitur oratio. Vide! quot Principes Tuæ assistant inaugurationi, quot Duces procedant, quot Reges applaudant, quæ Procerũ comitatur turba! sanè nec Magnus Cõstantinus dum triũphabundus Capitoliũ ascenderet, splendidiorẽ habuit comitatum. Pompatico huic agmini etiã minima Scholarum Piarum *se intermiscet Religio, cũ Voto, ut Avitæ FASCIÆ Tuæ rotâ, quàm primũ ad Senatorij culmen Honoris proveharis.*